



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ivdx Magistratevs Senator**

**Zype, Franciscus van der**

**Antverpiæ, 1633**

Cap. XXIII. De Commeatu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14280**

tamen dimissio facta est, sed persona liberè retenta, pignoris vice, donec pretium solueretur; debetur: quamuis mors reditum ad suos impedierit. quòd si quis dimissus fuerit eo pacto, vt alium in vicem dimitti curaret, si alter illo curante dimissus fuerit, quamuis mors reditum interuerterit, promisso satisfactum erit. sin ante dimissionem mors obuenerit, non quidem alter in carcerem redire iudicio Grotij tenebitur, fauore libertatis, & quia per eum non steterit, sed neque lucri-faciet libertatem suam: lytrum militibus statutum, vel pro digno arbitrio persoluet.

6.

*Quòd si captiuus moriatur?*

Capti etsi serui hodie apud nos non fiant, bonis tamen quæ habent spoliantur; si quid tamen eorum victor non apprehenderit, suum non facit, ideoque captus si penes se pecuniam, vniuersas, aliaque pretiosa clam hoste retinuerit; postquam de pretio erit conuentum, hæc ipsa, vt dominus in solutum dare potest, non enim apprehendit hostis, quæ nesciuit. *l. possidere. §. ne rup. D. de acquirenda possess.*

7.

*Non capti hodie, sed captiuorum bona inter Christianos sunt captiuorum.*

## CAPVT XXIII.

## De Commeatu.

Commeandi ius extra Inducias etiam priuilegiarijs litteris concedi solet. quod Grotius *de bell. lib. 3. cap. 21. num. 14.* laxè intra verborum proprietatem, & vt vndeque voluntatis coniectura seruetur, absurditate euitatâ accipiendum tradit. vt nomine militum centurio etiam, & tribunus veniat. cui ire permittitur, redire liceat. & si non redire, cui datum abire: non mittere, cui concessum venire. nec huic nisi semel. nec cum familia. quia cum ea moramur, non peregrinamur. excepto famulatio (& si vsus seruet contrarium: quia saluus conductus impetratur numeratis in quælibet capita nummis.) ijsque bonis, quibus decenter non potest carere. comitatu item permisso, non eos comprehensos, quorum causa magis est odiosa, eandemque securitatem, neque territorio concedentis terminari, neque vitâ: nisi additum fuerit; *quamdiu voluerit.* velle desinit, qui viuere.

1.

*Ius commeandi, & saluus conductus late interpretandus.*

CA-